licet domos. Post hoc destruxit valvas, turres et murum et cremavit civitatem, preter matricem ecclesiam, que civitas opulentissima est, et a Remo ac Romulo primo quidem incepta, sed a Gallis Senonibus[a] antiquissimis temporibus cum duce Brennone, qui cum triginta milibus patriam fuerant ingressi, completa. Ibi Henricus dux Brunswigensis, dictus Leo propter animositatem, contemnens Fredericum et eius mandata, et ab eo recessit, in necessitate positus in partibus Lumbardie. Propter quod imperator ipsum ducem omni feodo privavit, primo ducatum Westphalie ab eo tulit et episcopo Coloniensi iure hereditario contulit, et alia bona sua in Saxonia inter episcopos distribuit. Tandem per preces principum vix obtinuit gratiam: Ita quod imperator sibi concessit ducatus[b] Lüneburgk et Brunswigk cum castris et civitatibus circumiacentibus, excepta civitate Lubecke, quam imperator pro imperio tenuit, et tribus annis in exilio, scilicet in Anglia, mansit. Tunc etiam ante dictus, scilicet Reynoldus archiepiscopus Coloniensis, qui cum potenti manu fuerat in tali expeditione, loco salarii et stipendii inpetravit ab imperatore Trium Magorum corpora, que Mediolani[c] extra muros, ante portam Romanam, in ecclesia sancti Eustachii servabantur pariter in uno sarcophago[d] marmoreo, quibus habitis, in Coloniam quasi triumphator

cum

a) senioribus c.

H. l. ampl.

primo

b) ducatus c.

brunswigk

Chr. Magor.

c) — nū c.

d) sartophago c. pariter in F2